INNOCENTIUS PP. XI.

Morbio 27 (100)

Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi tuæ quantum cum Domino possumus benigne consulere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi qui (ut asseris) loci de Lodron Tridentinæ diœcesis iurisdictionem temporalem in eo exercens Comes existis, ut in privatis domorum tuæ habitationis in Civitate et Diœcesi Tridentina Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, et ornatis seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, per Ordinarium loci prius visitandis et approbandis, ac de ipsius Ordinarii licentia eius arbitrio duratura, unam missam pro uno quoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium præiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua ac familiæ et quo ad Oratoria ruri existentia etiam in hospitum nobiliumque tuorum præsentia celebrari facere libere et licite possis et valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii ibidem missæ huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XXVII Iunii MDCLXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio

Visum Tridenti die 9 August. 1689

Carolus Fr. Voltolinus

Aud. G.

J. F. Albanus

1689 Juni 17

Dilecto filio Carolo Ferdinando Comiti de Lodron Nobili Tridentin

Facultas celebrandi domi ab Inn.tio XI. concessa Carolo Ferd.o C. Lodroni. 1689.

N.o 99.

4.

Morbio 27 (100)

Universitäts- und Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876448083-18/fragment/page=0002